



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Series Actorvm Omnivm In Canonizatione Sancti Thomae a Villanova, Cognomento Eleemosynarij**

**Romae, 1658**

Iulius Episcopus Sabinen. Cardinalis Sacchettus.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-9857**

præcipuum, quòd videbam, loci temporisque ratione id sua-  
dente, pauca mihi de plurimis, iisque præstantissimis eius virtu-  
tibus, esse delibanda; laudumquè flumen abundantissimum, bre-  
ui verborum ambitu coercendum. Quamobrem præstare mecum  
ipse putabam, nihil, quàm pauca de illo ieiunè, & exiliter loqui.  
Sed quando necessario dicendum est, omnia dixisse videri poter-  
o, cum dixerò, nihil admodum eorum desiderari in hoc Dei fam-  
ulo, quorum causa post obitum, nonnullos, tanquam comper-  
tæ sanctitatis viros, aternæquè Beatitudinis certò compotes,  
sancta Sedes Apostolica Catholice Ecclesie colendos, inuocân-  
dosquè proponere consuevit: id quod eius vitam, vel obiter  
lustranti apparebit. Siuè enim quis in teneris eum aspiciat: siuè  
mox Religiosæ familiæ alumnum consideret: seu demum populi  
Præsidem, & Pastorem intueatur; in omni genere virtutum ex-  
cellentem videbit. Egregiam verò atquè incredibilem erga  
Dei pauperes charitatem, & misericordiam, vbique non sine  
ingenti admiratione spectabit. Neque verò desunt cætera, quæ  
ritè, & rectè, hac occasione requiri solent: longissimi tempo-  
ris nunquam interrupta de illius sanctitate opinio, multis, ma-  
gnisque miraculis confirmata: populorum præclara, & constans  
deuotio: Regum, ac Principū humiles ad Sæct.<sup>tem</sup> V.<sup>ram</sup> transmissæ  
preces: nostrorum denique temporum difficultates, & angustia;  
quæ, multiplicatis apud Deum intercessoribus, opportunè po-  
stulant subleuari. Quæ quidem omnia, Beatissimæ Pater, co-  
gunt me, in eam sententiam descendere, vt sanctissimo Viro  
Sanctorum cultum solemniter decerni posse, ac debere, constan-  
tissimè censeam.

**Iulius Episcopus Sabinen. Cardinalis  
Sacchettus.**

**Q**uis dubitet, Beatissime Pater, honoribus, & laudibus ef-  
ferendum esse Virum, quem ipsæ sacræ paginæ exquisiue-  
runt, vt laudarent? Beatus enim Thomas est ille ex-  
petitus Vir, qui post aurum non abiit, nec sperauit in pecuniæ  
thesauris; quique non pecunias solum, sed etiam omnem sup-  
pel-

pellectilem, in pauperum vsum; & alimenta distribuens, fecit in  
vita sua mirabilia. Quæ aliàs in secreto Consistorio per me,  
Sanctitati Vestræ exposita, inducunt in votum, vt Beatus Tho-  
mas in Sanctorum numerum adscribatur.

**Martius Episcopus Albanen. Cardinalis**  
**GINETTUS.**

**C**ontemplor, Beatissime Pater, Thomam de Villanoua  
inter Christi pauperes se, suaquè profundentem omnia,  
sive in paterna domo adhuc infantem: sive cum in religiosæ pau-  
pertatis angustijs diues Deo, pectus effudit in proximos: sive cū  
de Sede Archiepiscopali fortius erupit flamma, qua intus arde-  
bat: & videri mihi videor Reginam Charitatem, solium magni-  
ficentiæ suæ sibi erexisse in corde Thomæ, vt ab infantia cresce-  
ret cum eo miseratio ad splendores vsquè Sanctorum. Hinc il-  
le mortalium conditionem supergressus, vitam incomparabili  
thesauro heroicarum virtutum intexuit, & mirabilium operum  
serie nunquàm interrupta, dum viueret, magis viuida dum mo-  
reretur, ad hunc vsque diem exornare non destitit. Tuo igitur,  
Beatissime Pater, hoc est Spiritus Sancti oraculo, Catholicæ  
Ecclesiæ venerandus, inuocandusque decerneretur Thomas, ex-  
pressa Diuinæ charitatis imago, & viuum Christianæ pietatis  
exemplar.

**Antonius Episcopus Tusculanus Cardinalis**

**Barberinus.**

**B**eatissime Pater: Omnia, quæ disertissimè dicenda forent  
de Beato Thoma de Villanoua Archiepiscopo Valentino,  
paucis à Diuo Chryostomo perstringuntur. Quando Charitatis  
est impositum diadema, id sufficit, ad ostendendum perfectum.  
Omnia dedit ille pauperibus. In vna Charitate omnes coale-  
solunt virtutes. Caritas enim omnia credit, omnia sperat, omnia  
suffert. Huius Charitatis oleo noster inunctus Athleta, de com-

K

muni